

David Richter


**Albertus Rex Sveciae & Dux Meclenburgicus Cum Ad Natalem Serenissimi Ducis
Atque Principis Domini, Dn. Caroli Leopoldi, Ducis Regnantis Meclenburgici ... D.
XXVI. Novembr. MDCCXXXVII. ... in Gymnasii ... Celebrandum**

Rostochii: Adlerus, [1737]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832282839>

Druck Freier  Zugang





DK-9453 (1)



Pro

ALBERTUS

REX SVECIAE & DUX MECLENBURGICUS

CUM

AD NATALEM
SERENISSIMI DUCIS ATQVE
PRINCIPIS DOMINI,



DN. CAROLI LEOPOLDI,

DUCIS REGNANTIS MECLENBURGICI,
PRINCIPIS VANDALIAE, SVERINI & RACEBURGI,
COMITIS ITEM SVERINENSIS, TERRARUM
ROSTOCHII ATQVE STARGARDIAE
DYNASTAE,

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

FAUSTO SIDERE NOBIS REDDITUM,

D. XXVI. NOVEMBR. A. C. MDCCXXXVII.

SOLENNIORIBUSQVE ORATIONIBUS FESTIS
IN GYMNASII AUDITORIO MAJORI CELEBRANDUM,
PATRES UTRIVSQUE REIPUBLICAE

UT AD ORATIONES BENIGNE AUDIENDAS,

CUM GRATIA FREQUENTES CONFLUANT,

OMNI OFFICIO ET HUMANITATE INVITARET,

PIE RECOLEBATUR

M. DAVIDE RICHTER, Gymn. Rect.

ROSTOCHII, typis JO. JAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

194.



I. N. J. A.

Felix prole Virum & faustissima Mater non Patriæ nostræ solum, sed Regnorum quoque Daniæ, Norwagiæ & Sveciæ facta est EUPHEM A, germana soror Magni Regis Sveciæ, cognomento *Smeek*, Historicis notissimi, Conjux vero latissimi omnis & nominis Alberti I Ducis Meclenburgici. Facile credo quod ex sapientissimo Paris Henrici Leonis consilio, eam A. 1321 sibi jam desponsatam, A. 336 cum regia puella interea adolevisset, duxerit, celebratis Rostochii quod ad Meclenburgenses redierat, nuptiis. Ter marito suo peperit filios, generosioris indolis, quique geniti erant, ut regnarent, & bis non minus felici partu enixa est filias, Regum Septentrionis avias. Alter filiorum erat ALBERTUS, inter Sveciæ Reges I. & inter Duces Meclenb. II. dus, de quo mox plura: alter autem MAGNUS I. qui Johannem II. filium reliquit, fidum illum Alberti II. Reg. Svec. Achatem & omniumque periculorum comitem, & ipsius captivitatis socium, ex quo Serenissimi moderni Duces Meclenburgici omnes suum genus deducunt per Henricum Pingvem. Sed diligentissime tertius filius HENRICUS, quem Suspensoris cognomine inclurum fecere, memoriæ prodendus videtur, quia A. 361 nuptiis sibi adjunxit Regis Daniæ Waldemari III. filiam natu majorem; INGELBURGAM, Principem 13. annorum, ex eaque suscepit filium, unicum Albertum III. quem Avus maternus, Waldemarus III. coram Avo Paterno Alberto I. & Patre, Henrico, verat,

jam A. 1371 heredem & successorem Regni Daniae publice declaraverat, quemque ex incerto Chronologo Dano, loco mox citando, p. 111. Crantzius Vandal. IX. 8. f. m. 208. *bonum Principem & regno dignum* vocavit, cui etiam ibid e 22. f. m. 216. elogium tribuit quod *Optimi Principis non degener Proles* fuerit. Ista vero temporum periodo, Dania erat regnum patrimoniale, quod non solum alienari, sed cui etiam successores ex arbitrio dari potuerunt. Vide Grotium de Jure B & P. II. 7. passim, imprimis vero §. 12. 17. sq & III. 20. §. 5. n. 3. Injuste igitur hunc Albertum III. a matertera sua, Margareta, natu minori, successione in Regnum Daniae submotum fuisse singulari Oratione, eaque Vta, latius persequemur. Neutrum enim ab Historicis, etiam Danis, negari potuit & ingenue satis confessis, *Regnum Daniae jure hereditario traditum* fuisse, & libere referentibus *Albertum* nostrum *exclusum* fuisse, quod *Margareta regnandi cupida* fuisset. Vid. Reliqu. MStorum Ludewigianas, Tom. 9. p. m. 188. & p. 111. quibuseum Crantzius Vandal. IX. 22. constantissime consentit, graviter vereque pronuntians: *Magna imperia non tam legibus quam armis quari.* Novissima etiam Successionis in regnum Sveciae memoriam nos omnes tenebimus. Obiit tandem Albertus III, impolis A. 1387. uno anno ante fratruelis Alberti II. bellum Svecico-Danicum cum Margareta. Praeter hunc filium autem Ingelburga, Henrico suo par filiarum praestitit, quarum prima *EUPHEMIA* nupsit Johanni IV. Principi Werlensi, Laurentii fratri. Secunda autem, *MARIA*, matrimonii jure juncta cum Wartislao VII, Duce Pomeraniae, laeta fuit DEum partu, quia ex Eadem prodierunt Ericus, Rex Sveciae, Daniae & Norvagiae, ejusque Soror, Sophia, mater Christophori III. qui Erico successit. Sic demum Henrici Nostratis Nepoti, Erico, & Pro-Nepoti, Christophoro, Regnum Daniae, una cum Norvagia & Svecia reddidit, vel ereptum potius restituit Margareta, quod Ejusdem Henrici filio, Alberto III. illegitime subduxerat. Hic ipse etiam succedendi modus docet nos naturam horum Regnorum, Septem Trionibus subjectorum, quae per Margaretam miris modis & in Dania & in Svecia fuit turbata aut immutata. Successores enim nec ex Procerum consensu nec ex populi voluntate, qui Germanos jam toties experti fuerant, sed ex suo arbitrio, quos voluit, constituit deditque,

A 2

Sed

Sed revertamur ad filias quoque Eufemianas, alteram *ANNAM* Adolphi VII. Comitis Holsatiae tori vitæque sociam; de qua Epitome Chemnitiana, sine dubio Scribarum vitio, perperam ea retulit, signo K. q. quæ jam majori veritatis pondere supra signu J. h. exposuerat de Anna Henrici Leonis filia, Henrico Ferreo in matrimonium data, & quæ utriusque Conjugis temporum collatio satis præterea firmant. Secundam vero filiarum Euphemie *INGELBURGAM* fuisse, constat inter omnes; quod vero hæc Avia venditetur Hedwicæ, uxoris Theodorici Fortunati, & Patris Christiani I. Regis Danorum, illud mihi dubia atque incerta ~~si~~ de traditum videretur ab anonymo illo Rer. Danic. Chronologo, quem suis Reliq. MST. Tom. 9. inseruit Illustriss. Cancellarius Fridericianus, Dn. de Ludewig, p. m. 43. Fallit enim iste Anonymus in Genealogicis quam sæpissime quia & Christophori III. matrem, filiam prædicat Henrici Nostratis, quæ tamen Ipsius jam Neptis erat, & præterea omnia in hac Henriciana familia oppido miscet atque turbat. Nullus enim dubito quin Henrici Leonis filiam, Annam, cujus modo mentionem fecimus, cum sua Ingeburga, Hedwicæ avia confuderit, quia nemini obscurum est, Ingeburgam Euphemie, conjugem fuisse Ludovici Romani, Elect. Brandenb. Ingeburgam vero Henrici Abbatis Ribbenicentem ibidem obdormivisse. Omitto præter multa alia quod Hedwicæ maritum semper Fridericum vociter, eidemque *tres filios OTTONEM & GERHARDUM, Comites, ac CHRISTOPHORUM I. Danorum Regem, patrem duorum filiorum Jobannis & Friderici* attribuerit.

Sed vero ad caput causæ nostræ veniendum erit, Albertum nempe Sveciæ Regem & Ducem Meclenburgicum, ex fortuna varietate satis cognitum, quique ad tantam Matrem tantosque cognatos, genus referebat suum. Avunculum præterea habebat Magnum II. Smeek, Regem Sveciæ nobilissimum, qui suo autem fastigio se haud satis diu tenuit. Si enim mens læva illi non fuisset, ex Birgerianis periculis, sibi quod ex usu fuisset, discere potuisset. Cum vero res novas moliebatur, omniumque partes corripere atque complecti machinaretur, Regni proceres ab Eodem proscripti, de melioris Regis electione capere consilium cogebantur. Sollicitabant equidem Henrici II. Ferrei, Comitis Holsatiensis animum; hic autem, ut de indu-

i
 ndustria Loccenii verbis utar, *senectutis & aduersæ valetudinis excusatione usus*, Albertum I. tanta Imperatoris Caroli IV. gratia florentem, ut hic illum aliquoties Furstenbergæ inviserit, suoque comitatu sapius adjunxerit, Illis commendaverat, quia per Eiusdem Virtutem præcipue ex captivitate Danica fuerant liberati, & hospitaliter etiam in aula Meclenburgica excepti. Hanc ergo Exules Patria & ab Alberto in libertatem vendicati Magnates, *gratiam reddiderunt indulgentissimo hospiti, ut Eius filio aditum ad Regnum Sveciæ, Magno excluso, pararent.* Quis vero hic filium Albertum II. ambitus videt suspectum? cujus tamen criminis frustra eundem insimulare videtur Loccenius, *Histor. Svecan. p. m. 109.* sicut gratis etiam Henrici, Comitæ Holfat, focerum vocavit Albertum I. cum affinis ipsius fuerit, & focerum venerabatur, Henricum Leonem, Alberti I. Patrem. Parentis autem Alberti I. sapientia regnandique peritia, in hac Regni Svecici oblatione eluxit præcipue, experientia jam satis edocti. *Nunquam magna imperia otiosa*, teste Seneca, *Svalor. 5ta.* Quod enim alii avide concupiscunt regnum, alii etiam oblatum, ambabus manibus accipiunt, Hic quidem non respuit, neque tamen omnem solis Optimatibus fidem habuit, multo vero minus cupiditate aliqua ductus illud involavit, sed prudentia Grotiana usus, *in Regnorum successione distinguebat regna quæ pleno modo possidentur & in patrimonio sunt, ab his quæ modum habendi accipiunt ex populi consensu.* Vid. Grot. de J. B. & P. II. 7, 12. Sedulo itaque inquisivit cui Jus Summæ Potestatis in gente Svecica competeret, quia illum non fugiebat, quod *Reges plerique*, (sic enim emendatior Barbeyraciana Operis Grotiani Editio, pro Vulgari: *denique*, legendum recte postulat. Lib. I. cap. 3. §. II. n. 1. quam læticnem Ipse Grotius quoque Lib. III. 20. §. firmavit) *tam qui primi eliguntur, quam qui Electis legitimo ordine succedunt, jure usufructuario Summum Imperium habeant.* Nam successio, Eodem Autore §. 10. n. 5. *non est titulus Imperii, qui Imperio formam assignat, sed veteris continuatio. Jus enim ab electione familia coepta succedendo continuatur, quare quantum prima electio tribuit, tantum desert successio.* Antequam ergo filius Albertus II. oblatum capefferet regnum, Ipse Pater assumpto secum **A. 1363.** filio seniore domicillo Alberto una cum militibus (Proceribus Svecicis,

Svecicis, qui post Pascha se ad Wismariam, ad dominum Albertum I. immediate transtulerant) ad Stockholmen cum exercitu venerunt ac totam Sveciam sibi subjugarunt, ut Daniæ Historici loquuntur in Reliquiis Ludewig Tom. 9. p. 186. Diligentissimus vero Loccenius autor est, Patre ideo cum filio in Sveciam trajecisse ut de Regni commendatione coram ageret & populi suffragiis negotium totum committeret. Simulac vero advenerant, uno statim concionis ore in comitiis Holmenfis, Albertum II. Sveciæ Regem proclamatum, votisque omnibus expetitur gloriosissimus Pater. Ex his Daniæ Chronologi verbis satis abunde interim docemur quod Jus & ordo nascendi primas Alberto partes tribuerit, ejusque rationem, a Primatibus Sveciæ in regno oblatione præcipue fuisse habitam, licet alias non solum Loccenius in Hist. Svecan. Lib. III. ad A. 1363. p. m. 107. edit. A. 1586. in 4to, sed ipse etiam Joh. Frid. Chernitius, Nostras, in sua Epitome Geneal. Histor. ad A. 1412. signis K. m. & K. g. ætatis privilegium fratri pleno, Henrico, de quo supra, p. egimus, adjicere videantur. Albertus autem II. rebus sic per Patrem constitutis, minor quatuor aut quinque & viginti annis natus, Rex Sveciæ factus, proximo anno aut biennio Magnum II. mordicus Svecorum regnum retinere & defendere allaborantem bello subegit. Is enim licet regio solio indignus fuisset judicatus, regni tamen gratia jus violandum censuit, C. J. Cæsaris sententiam secutus, quem ex Euripidis Phœnissis Cicero Offic. III. 21. ita loquentem induxit:

Nam si violandum est jus, regnandi gratia

Violandum est; aliis in rebus pietatem colas.

Sed vero Albertus II. fretus & odio Magni & copiis Paternis firmatus, maximo animo An. 1365. congressus cum Magno, superior prælio discessit. Magnumque vivum prope Enecopium, circumquadragesimam vivum cepit. Planum inde fiet Magnum fuisse captum in die Martiæ, sive d. 25. Febr. quem multi cum die Martiæ in consulte committunt. Liberum vero eundem haud prius dimisit quam cum post Septennium juramento fidem obstringeret, se Sveciæ regnum Alberto cessurum nec unquam illud porro invasurum. Hac victoria Albertus elatior non factus, Regni sui auspici-

cia

cia ita ex Omnium Suorum voto administravit, ut plurimorum quoque expectationem vinceret. Credo, quod paternis consiliis locum reliquerit. Justitiamque monitus didicerit, intelligens *nullum imperium tutum, nisi benevolentia id munitum*, autore Corn. Nepote, in Dione cap. 10. 3. Regno enim ejecti Magni filium Haecquinum & Reginae Margaretae maritum & utriusque Regni Daniae & Norwegiae Regem ex hereditatis jure factum videbat, quare summa cura adhibenda erat, ut dissidiis utrimque A. 1366. compositis, latus a vicino tutum haberet, neque temere Civium fuorum animos offenderet, quin potius ut non minus belli quam pacis artibus omnes praestaret. Suum ergo cuique retulit legesque patriae, quibus summa continetur salus confirmavit, pacemque publicam ita observavit ut ipsam quoque Aulae disciplinam salubriter temperaverit. *Sed nondum fortuna*, ut Curtii verba referam, Lib. III. 12 20. *se animo ejus infuderat. Itaque orientem eam moderate & prudenter tulit, ad ultimum magnitudinem ejus non cepit.* Hinc etiam tanta perfidae fortunae indulgentia non fuit diuturna, sed Patre etiamnum superstite, qui A. 1379. d. 19. Febr. diem obiit supremum, externa auxilia circumspicere coepit, foedera iniens. A. 1374. cum Carolo IV. Rom. Imp. Wenceslao, Rege Bohemicae Ejusque fratribus, Sigismundo I. Johanne, Marchionibus Brandenburgicis, qui singuli Alberto fidem (verba) dederunt, se conjunctis copiis illi suisque heredibus regnum stabilituros. In vivo Patre & meliora sine dubio svadente, hanc societatem factam fuisse, inde conjicio, quia Chemnitius, Historicus Patriae nostrae multo gravissimus, nullam mentionem facit Patris Alberti I. nec, quod ad eandem amicitiam adscitus fuisset, aut transire desiderasset, paucissimis etiam retulit. Vix itaque decennium Svecis suis probavit Albertus, cum palam cupiditates solvens genium mutaret, omniaque ex cupiditate ageret. Ad ultimum a semet ipso degeneravit usque adeo, ut adulatoribus aulicis faciles praerberet aures Svecis, iisque indigenis, praeteritis, Meclenburgicos nobiles, novos in alieno regno homines, lautioribus officiis praeficeret, Legesque patrias, quibus tamen juratum praestiterat fidem figeret atque refrigeret. His rebus factum est, ut tantum apud Svecos indignationem incurreret, ut ministro-

rum

rum quoque facinora & culpam omnem in ipsum Regem conjiciant, ipsaque etiam recte facta traducant & in odium adducere fatagant, a qua animi levitate ne recentiores quidem Svecicarum rerum Scriptores plane immunes esse potuerunt. Sic. Joh. Messenius in Chron. Episc. per Sveciam cap. 7. in Elencho Episc. Lincopienf. p. m. 84. vitio vertit Alberto II. quod *Episcopi Nicolai, cum Rege Magno in Norwegiam aufugientis bona, Corone pecunio submiserit, & Gottschalcum, vacanti Lincopiensium Ecclesie obtruserit antistitem.* Eadem animi impotentia in ipsum Regem transferre audet avaritiae maculam, quod *Rodolphus Megapolitanus ab Alberto Rege, Diocesi obtrusus Scavensi, Ecclesie Cathedralis aurea & argentea vasa per summam nequitiam diripuerit ac expilaverit ornamenta, ac propterea Rege Alberto in captivitatem redacto, subvertens, ne sacrilegio debitas persolveret penas, in Germaniam profugerit*, ibid. cap. 8. p. m.

III. Certe si Rex ipsius Episcopatus aut totius Collegii Canonorum bona redivitibus regiis addixisset, quod habitum secularem toti Episcopatu induere recentiores appellare avert, aut, si infontis & ad meliores fruges reversuri Episcopi opes invasisset, haberet Messenius quod indigne ferret. Jam vero, vacantibus Episcopatibus successores dare, quos non video Electis a Canonorum corpore oppositos, illud certe omni culpa vacabit. Neque illud simpliciter reprehendendum erat, quod Extraneos in munerum publicorum delatione Indigenis prætulerit. Anceps enim est quaestio: Utrum hoc Regis consilium vitio laboret & cum regnandi artibus possit in gratiam revocari, an vero minus? Illud certe Galliae Regi, ipsique Turcarum Sultano solenne est, obtinetque in aulis quamplurimis hodie, ita ut non solum Cel. Hertius Elem. Prud. Civil. Part. 2. Sect. 10. §. 31. praelatum Exterorum ministerium ad remedia retulerit, quibus mala Civitatis irregularis, qualis tum quidem Svecia erat quam maxime, latam dominationem appetentis lenire solemus; sed etiam palam asseveret: *Exteros indigenis praeferere, interdum conducere.* Vide Eundem in Indice Elem. Prud. Civil. & conf. lib. cit. Sect. 23. §. 18. Quod si vero sine crimine, quid sentiamus, expromere licet, in illorum potius sententiam pedibus transeo, qui Civibus primas. Peregrinis autem secundas aut rariores partes tribuunt, Contra gentis enim,

enim, cui imperamus, decus est, Exteris honorum officia committere, suosque Cives iisdem indignos iudicare. Adfunt rationes multo plures, quas vero brevitatis studio libenter pratero, quia data opera has pluribus exposuerunt Ant. Perezus in Jur. Publ. cap. 55. p. m. 129. sqq. & Scriptores Politicarum, v. g. Buddeus, in Philof. Pract. Part. 3. cap. 5. Sect. 6. §. 6. p. 504. & ad eundem Gundlingiana Praelectiones, vulgo, *Discours*, &c. A. 1733. publicatae pag. 225. sqq. quibus addes Bodinum de Republ. Lib. I. cap. 6. p. m. 96. Berneggeri Quaestiones Miscell. ad Taciti Germ. c. 42. quaestione 159. & ad Ejusd. Agricol. cap. 14. quaestione 190. item Forstneri Notas Politicas ad Libr. II. Annal. Taciti pag. 117. sqq. & quos non praterea?

Audiamus denique crimen praecipuum; quod *Leges Regni, in quas jurarat &c. violaverit*. Hujus enim indolis tales Leges sunt, ut ipsi etiam Reges & Legislatores non spectentur qua Civitatis (Regni) ipsius personam atque autoritatem sustinent, sed qua pars sunt communitatis, sive Civitatis, ex aequitate naturali, qua partes vult componi ad rationem integri. Vide pluribus Grotium II. 4. 12. & II. 20. 24. qui praeterea peculiari capite, quod 14^{um} est, rem omnem discutit, his inter multa alia verbis usus: *Si populus Regem fecerit non pleno jure, sed additis legibus, poterunt per eas leges contrarii actus irriti fieri, aut omnino aut ex parte, quia eatenus populus jus sibi servavit, &c.*: Quenam ergo malum! inquires florentissimo Alberto causa fuit tantae temeritatis ut has Patriae Leges migraret? Obscurum ne fuit, *Eum, qui Leges, quae ad Statum Reipubl. pertinent, mutare salva reipubl. conatur, perinde facere ac eos, qui adium altissimarum substructi oneris fundamenta renovare se posse putant salvis edibus, quae nisi ruant, plus tamen ipsa concussio domus incommodi quam nova materia utilitatis est allatura: eoque magis, cum Civitas quasi vetus & caduca domus diutissime stetit in eodem statu, quam senectutem pluribus comprobavit Politicorum ille Antesignanus, Bodinus de Republ. IV. 3. p. m. 665.* Vide autem quantum adulationi ministrorum liceat, quae licet perniciofa sit, perpetuum tamen malum est etiam Optimorum Regum, quorum opes sapienter assentatio quam hostis everit, observante Curtio VIII, 5. 6. Adulatoribus

B

bus

bis enim, spem Regnum solita vanitate infantibus, nisi aures Prin-
 cipum paterent, veritatem, illud salutare, sed quæ nudam saltem
 se conspiciendam præbet, discerent, quæ vero per tale aulicorum
 genus invisa redditur & ab aulis non modo exulat sed a cordibus
 quoque Subditorum. O quam beatos haberemus Principes si præ-
 toria eorum nullos foverent nec reciperent assentatores! Vix mihi
 temperare possum, quin ex Hieronymi adhortatione ad Demetria-
 dem de Virginitate, Tom. IV. Opp. fol. 21. hæc pauciora transcri-
 bam, quia multa cum gravitate fœditatem hujus tam late serpentis
 vitii graphice describit. Ita autem, ut alibi passim, ille: *Adula-
 tores ut inimicos cave, quorum sermones super oleum molles, & ipsi
 sunt jacula. Corruptunt fictis laudibus leves animas & male credulis
 mentibus blandum vulnus infigunt. Crevit hoc in nostra etate vitium,
 & in ultimo sine stetit: nec jam augeri potest. In hanc omnes nos scho-
 lam studiumque dedimus, ut officium putemus illudere; quodque ipsi ab a-
 liis libenter accipimus, id aliis quasi quoddam munus offerimus & spe
 recipienda laudis, eos a quibus laudari volumus, ante laudamus. Sæpe
 adulantium resistimus verbis ad faciem, & in secreto mentis favemus:
 maximumque fructum cepisse nos ducimus si vel fictis laudibus prædica-
 mur, nec cogitamus quid ipsi sumus, sed quid alteris esse videmur; &c.*
 Huic assentatorum pesti non Regi Alberto, quem quidem Dano-
 rum ad A. 1389. jam feliciter regnasse aperte consentitur, quem-
 que meliora ex prudentissima Patris disciplina edoctum fuisse audi-
 vimus, tribuenda sunt ista mala, quæ Regem ita tandem a suæ fe-
 licitatis gradu dejecerunt, ut non Regnum modo sed ipsam quo-
 que libertatem, mox perdiderit. Per hos certe factum est, ut ni-
 mia jactatione fortitudinis opumque suarum, plus iusto sibi tribue-
 rit, hostem injuste contemserit, cum tamen ex Corn. Nepotis in
 Thrasib. II. 3. monito, hoc præceptum omnium in animis esse de-
 beret: *Nihil in bello oportere contemni.* Illustri argumento hoc co-
 gnitum fuit in bello Danico, quod Margareta Danica virilis animi
 Heroïna illatum gessit. Licet enim nec exercitus Regis nec ipse
 Albertus suæ fortitudini defuerint, fortunæ tamen indulgentiam
 impetrare nequibat. Ut enim Rex animi erat semper difficulta-
 bus oblectantis, ita in suo quoque periculo magnum semper ha-
 bebatur

bebat animum, quem vero fortunæ perfidia deferebat. *Palus enim erat in medio*, ut Cranzii verbis utar, Vandal. IX. 22. fol. m. 216. *quæ diremit exercitus Spectabant acies in alterutram, quæ prior in transverso transgrederetur. Erat Regis animus major, quam qui ulla possit re detereri. Prior ille eduxit, sed ea laboratum est difficultate in transeunda palude, ut facile Danis victoria relinqueretur.* Hinc facile videmus, Danos hanc victoriam majore ex parte fortunæ suæ, non virtuti debere, quia non animo, sed loco vicerunt. Albertus enim si prudentius quam avidius se tanto discrimini objecisset, nec prælium nisi coactus commisisset, multo certe se eripuisset periculo, ipsamque captivitatem effugisset. Jam vero cum in prima acie fortissime dimicat, *in die S. Matthiæ Apostoli post meridiem cum filio suo Erico, & tribus comitibus & multis nobilibus capitur, & in altissimis custodiis, in diversis castris, 7. annis in arce Lindholm detinentur.*

Rex capitur Sveciæ, videnter luce Matthiæ

Rex Alberte scias, tua cinxit castra Mathias.

Ita quidem varii diversique Anonymi Autores Chronicorum Danicorum ex MST. erutorum ab Illustri Dn Cancellario de Ludewigiu Reliqu. MSTorum, Tomo IX. p. 198. 190. 117. captivitatem Alberti notarunt, falluntur autem cum multis aliis in die Matthiæ quia dies Matthæo sacra, quem p. 115. recte Matthæum Apostolum vocari video, fatalis fuit Regi, unde & illorum sive error sive vitia typographica corrigenda sunt qui inversis mutatisque numeris diem 12. Septembris cum die 21. Matthiæ conciliare audent. Animadvertes etiam quanta cum consensione prædictorum Chronicorum autores captivitatem Alberti ad A. 1389. retulerint, cum Cranzio, ita utiliter iisdem uso, ut ipsa sæpius Eorundem verba reddiderit, quem tamen multi alii A. 1388. venditant. Multam quoque toti huic causæ lucem affunderent Erasmi Mich. Læti Margaritorum Libri X. l. de Conflictu Gothico Margarethæ Dan. R. cum Alberto Megap. Sveciæ R. Frfri ad Mœnum, A. 1573. edito, quod Catalogus Bibliothecæ Mayerianæ p. 646. n. 13. testatur, si iisdem uti fruique licuisset. Dici vero non potest, quàm insolens hæc fuerit Danorum victoria, & quam superbe in calamitate

tate sua Alberto insultaverit Margareta. Indignis enim modis ipsi
 us fortunam irritabat. Quoniam enim Albertus juraverat, non se
 gestaturum caputium, priusquam illi sceptrum Dania adimeret; ideo ipsa
 fecit ei fieri caputium de Bucello XV. ulnarum cum Licippio XIX. ulna-
 rum. Vid. Dani ap. Illustr. Dn. de Ludewig l. c. p. 115. Bucellum
 cum Licippio frustra interim in Glossario du Fresniano quæres at-
 que pervestigabis. Vide tamen in Eodem vocem: *Liripipium*. Sic
 Svecia suo rege orba didicit, rempubl. sine capite corpus esse sine
 spiritu. Exposita enim erat pessimorum quorumvis libidini, qui ra-
 pinis incendiis cædibusque omnia miscebant, quemadmodum fieri
 solet quando aut oleo incendium restingvere tentamus, aut *nullus
 lex est in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videtur, hoc facit.*
 Germani enim, qui per Albertum creverant indigne ferebant per-
 fidiam Svecorum nullam redimendi Regis sui curam operamque ad-
 hibentium. Hinc Holmiam tenebant eamque cum vicinis oppidis
 regionibusque vastabant. Fratres Cucullati, & mare balticum in-
 festabant Vituliani, prædonum maritimum colluvies. Singuli ho-
 nêta præscriptione liberandi Reges, piraticam, rem turpissimam
 regebant & omnia ex libidine avarissime crudelissimeque faciebant.
 Nemo tamen majorem suscepit laborem pro Rege in libertatem re-
 stituendò quam quidem Ipsi fratruelis Johannes II. Dux Meclen-
 burgicus, quem perperam Chronica Danica apud Dn. de Ludewig
 p. 115. *patruum regis & Dominum de Stargardia vocant*, quia is
 Johannes II. equidem erat inter Duces Meclenb. Stargardiensis li-
 neæ, sed qui ista temporis periodo rebus Meclenburgicis Serenif-
 simæ domus Sverinensis nihil præstitit auxilii. In eundem erro-
 rem seductus fuit Cranzius Vandal. IX 23. f. m. 217. qui & clan-
 culum his MSC. Chronicis Danicis usus videtur in conficiendo suo
 opere. Ne vero hæc frustra dixisse videatur, hæc de suo commi-
 nisquitur; Johannem hunc de Stargardia Dominum filium fuisse
 Johannis cum Alberto fratre Ducis Magnopolensis, eumque in ex-
 peditione iterum instituta filios secum duxisse in bossem. Johannem &
 Ulricum. Fallitur autem in Johannis & Ulrici nominibus Cranzius,
 quia Stargardiensis Dux Johannes II. nullo usus est filio cui Ulrici no-
 men fuisset. Quod si etiam fingeremus Henricum esse legendum
 pro.

pro Ulrico, ne sic tamen quidem res erit in vado, quia Johannes II. Anno demum 1388. uxorem duxit Vegetillam, Jagellonis, Regis Poloniae filiam. Quis vero credet Eundem cum vagientibus infantibus, aut filiis bimulis vel trimulis navem conscendisse aut in castra fuisse profectum? Notabis praeterea Chemnitii Epitomen in hoc Stargardiensi Johanne II. (qui ipsi est sub signo J. o. Johannes XII.) lacunam, forte Scribarum vitio, fuisse passam, & hiatus 15. minimum annorum laborare. Exemplum enim MSTum, quo plerumque utuntur, inchoat res Johannis II. ab A. 1392. cum tamen procul dubio jam inde ab A. 1477. Patri suo successisset. Minime autem dubito quin ex accuratiorum MSTorum collatione curiosa, huc, si quis futurus est, suppleatur defectus & restituantur omissa. Sed vero Johannes II. ex Serenissima domo Sverinensi, cujus etiam supra p. I mentionem fecimus, is est, qui *magnis anxius est viribus ut captum Albertum Sueciae regem vinculis exueret.* Nullis pepercit itinerum molestiis & sumptibus, quia omnem potius movebat lapidem ut Regni Proceres Regi conciliaret, sed furdis narrabat fabulam. Armata itaque manu & suo pte Marte Albertum liberare statuit, & bis cum *noctum multitudine intravit mare ut civitatem Stockholmi, quae solummodo in fide regis manserat a Danorum obsidione liberaret.* Prima enim vice navibus coactis cum delecta manu Holmiam profectus Anno circiter 1389. vel 1390. infectis rebus discedere cogebatur. *Sava enim tempestate orta, naves bellicae ira afflictabantur, ut vix ipse cum paucis salvatus sit,* quae Danici Chronologi verba. Cranzius l. c. ita explicavit: *Prima expeditione, cum navigaret Johannes, seva est exorta tempestas, quae sub oculis cernentis quosdam suorum abripuit in profundum, alios compulit in portus hostiles, ut manibus eorum concedere cogentur: vix ipse ductor cum paucis cursum retrolegens, in pacata pervenit.* Rei autem navalis atque maritimae peritissimum fuisse Johannem II. eumque suis fortunis non desperasse, altera instructa & denuo aedificata probat classis bellica, quam nec ex priori resectam, nec per eandem reparatam aut firmatam dicera ausim, quia *paucas saltem ex priori discrimine navali reduxerat, de qua Dani ita: A. 1390. expeditio- na iterum insaurata adsunt cum eo Rostochienses & Wismarienses, quanta*

B-3

poterant

*poterant virtute, pro lege, nativo suo principe omni nisu contendentes
 ut captivitate Rex liberaretur. Sed nihil profecerunt.* Majori autem
 diligentia hæc a Loccenio in Hist. Svecan. p. m. 116. ad A. 1392.
 referuntur, quia tam celeriter classis non præparatur ut mox etiam
 in aqua stet aut mare transeat, licet ultro largiar Rostochiensium &
 Wismariensium naves non procul, sed jam præsto fuisse, quæ ta-
 men solæ nihil tentare ausæ, sed per Ducis Johannis II. classem con-
 firmandæ fuerunt ut justum hostibus terrorem incutere possent.
 Archi-Thalassus classis hujus Mechelburgicæ Hugo vocatur a Locce-
 nio, quamvis ipse Johannes summo cum imperio ubique fuerit ad
 naves, ipsaque classis tanta, quanta sustinuit contra Danicam clas-
 sem consistere ejusque imperum reprimere. Non enim nihil pro-
 fecerunt classarii Meclenburgici, sed oportunitate temporis usi,
 cibaria intulerunt laboranti Hølmia, Danorum præterea classem
 stratagemate maritimo ita per Hugonem circumvenerant, ut ad lu-
 dibrium quoque Meclenburgicorum reciderit, quæ singula pluri-
 bus exponit Loccenius l. c. Nisi etiam me omnia fallunt, hanc
 navalem cladem Danis ab Hugone, quem toti officio maritimo pro-
 fecerat Dux Johannes II. illatam, picta quædam refert tabula in tem-
 plo Mariano suspensa supra Dn Consulium subsellia. Plenius vero
 res ab hac altera classe Meclenburgica gestas Cranzius ita persequi-
 tur: Maris insulas Bornholm & Gorthlandiam, expositis in terram
 „ militibus, populantur; & prædis convectis in naves, iter coe-
 „ ptum continuant. Inde in Sveciam venientes, reperiunt ad urbem,
 „ quam solam in fide diximus remansisse, Danos jam obsidionem
 „ firmantes, duo e regione erexisse præsidia. Aggressi alterum,
 „ facile expugnant: alterum vero firmioribus nixum radicibus,
 „ quod in rupe extractum emineret, facile, si perseverassent, in
 „ deditionem perpulissent. Id veriti Dani, qui inerant, colloquium
 „ deposcunt, trengas in sequentem annum constituunt, multa pol-
 „ liciti ad victi regis relaxationem. Credidit princeps & ab oppu-
 „ gnatione destitit, in qua si perdurasset, facile pervenisset adoptata.
 „ Magnum erat verum momentum in ea urbe de toto regno. Sed
 „ cum nimis Johannes ad reditum festinaret ante formidatas ex
 „ tempore tempestates, rem magno molimine coeptam, & magna
 momen.

momenta habituram, turpiter evanescere permisit. Plenioribus ergo Crazius instructus fuisse videtur, quæ quidem Summam, Summi, tallium cimeliorum conquistoris & felicissimi ruspatoris, Dn. Ludewigii solertiam effugerunt, suo tamen tempore a grata posteritate aliquando in lucem publicam producentur. Nihil autem, ut Albertus Suis redderetur, prætitum reperio in Nobilibus fœminis Meclenburgicis, quare fabulam olet vulgaris traditio, Albertum cum jactura luxus & ornamentis muliebres captivitate fuisse solutum. Ita enim plerumque narrare solent Patres: *Endlich contribuirten die Mecklenb. Weiber das meiste zu seiner Befreyung, nachdem die Gefangenschafft allbereit bis ins siebende Jahr gewähret hatte. Denn sie machten ihre Juwelen zu Gelde, damit nur die Ranzions-Gelder konten aufgebracht werden: wofür ihnen das Privilegium ertheilet ward daß die Weiber bis auf diesen Tag sähig sind, Lehngüter zu besitzen. Quot lineæ tot errores! & cur tam honesto & misericordiamendacio opus est? Si enim Albertus, hujus generis privilegium indulget matronis, generis nobilitate florentibus, cur ergo has tabulas non proferunt, aut Unum saltem indicent fide dignum Virum qui easdem perlustrasset? Quis præter ista unquam fœminas in feuda succedere somniavit? Usufructuarix quidem sunt filix Nobiles feudi, ob defectum prolis masculæ ad proximos agnatos masculos transituri, sed cum vita expirat earundem usufructus, & quam proximi agnati statim a morte defuncti obtinuerunt proprietatem, ea nunc, usufructuariis decedentibus convertitur in possessionem. Hoc vero usufructuariorum beneficium diu jam ante Alberti tempora in nostris obtinuisse terris, videbis ap. Dn. D. Gerdes in nützliche Sammlung p. 90. ut sciens taceam Illustria Juris Consultorum lumina, quæ vexatissimam hanc Juris Meclenburgici consuetudinem data opera illustrarunt. Pluribus quoque circa eandem occupabitur Oratio II. Laudi interim ducitur Matronis Nobilibus, quod tanta erga suam patriæ patrem pietate usu prædicentur, quæ nec suis gazis pepercerint in redimendo Rege. Hæc certe pietas est, quam non solum principibus nostris debemus, sed Optimi quique illustri documento sæpius comprobaverunt, licet rariora Eorundem sint exempla, quæ vel ideo digna habuerunt singulari recensione Valerius Maximus VI. 8. & Piccartus. Observat. Hist. Polit. Decad. 6. prior. pag. 1-14. Emulabimur itaque Illorum fidem, *nostroque Patriæ Patri eandem exhibebimus, hoc præsertim Natali Die, qui Serenissimo Duci atque Principi nostro, Domino CAROLO LEOPOLDO*: Duci regnanti Meclenburgico, Principi Vandalix, Sverini & Raceburgi, Comiti item Sverinensi, Terrarum Roslochii atque Stargardie Dynastæ, Domino nostro clementissimo Cœlitus indulgetur LIXnus. Si per fortunam nostram, nascendique conditionem, margaritæ, gemmæ. Aurum & quæ plura solent esse generosioris sanguinis ornamenta, nobis nec suppetunt, nec eorundem conceditur facultas & copia, Illæsa tamen fides, nullius nisi perfidorum destituat animos. Quarti Præcepti Legisla-*

gislatorem recordabimur, nec negabimus, illud ex speciali mandato JEHOVÆ, a Moyse hoc sigillo fuisse firmatum, ut sis longævus super terram, & hanc laurum principum domibus perpetuo esse affixam: Hoc est mandatum primam in promissione. Sic itaque nostræ satisfacere anhelabimus pietati, ut ex Alberti Regis Sveciæ & Ducis Meclenb. exemplo discamus subditorum erga Principes suos Officia, in diebus Eorum natalitiis quam maxime observanda. In luce versabitur Patria, si Majorum nostrorum egregia facta cum æterna laudè omni posteritati commendanda renovabimus. antiquam nempe canamque Nobilium Matronarum famam fidemque & Rostochiensium invictam erga suum Principem fiduciæ obsequiique constantiam. Dignus profecto Albertus fuit tantis Civibus, quorum memoriam erit Tanto Alberto, quem nova luce illustrat, & ex Subditorum animis amoris fiduciam & obedientiæ gloriam non fuisse extinctam, palam testabitur. Hujus rei gratia cras V. D. a meridie circa horam III. prima Eloquentiæ suæ publica facient pericula.

*Ornatissimi & Optimorum favore & commendatione
dignissimi Juvenes, Dicentem*

- I. JONAS CHRISTOPH. RUMKER, Poserino-Meclenbl. Orat. Latina de *Causis belli Danici, Captivitate & Liberatione Alberti.*
- II. CHRISTOPH. THEODOS. STORCH, Guströv. Orat. Germ. Fabulam explodet, *Fæminas Nobiles ab Alberto privilegium illud feudale impetrasse.*
- III. JOHANN CHRISTOF BADENDIECK, Guströv. Metro germ. canet, *Euphemiam felicitatis uteri Matrem, sive Reges Sveciæ, Dania & Norvagiæ ex Euphemia prognatos.*
- IV. JOACHIM CHRISTIAN VIERECK, Guströv. Sermone Gallico probabit: *Albertum III. (Fratruelem Alberti II.) Ducem Meclenb. injuste a Margareta a suc. sione in Regnum Dania exclusum.*
- V. JOHANN SAMUEL MARTINI, Miroviens. Orat. Latina recenset *Imperatores Romanos in captivitatem abductos.*
- VI. JONAS CHRISTIAN WILLEBRAND, Carchoviens. Carmine germ. *Reges Principesque a Principibus Meclenburgicis captos, exponet.*

Vos itaque Præfides & Sacerdotes utriusque Justitiæ, hoc meis precibus dabitur ut coram & frequentes bene dicturorum accendatis animum, dicendique alatis studium. Spiritum certe recipiunt Auditoria si & Vestra favoris gratia se collustrata vident, neque, si amore Summorum Virorum digna habebuntur, cum animo diligentiam despondent omnem. Sanctum Serenissimi Ducis atque Principis: Domini CAROLI LEOPOLDI Ducis regnantis Meclenburgici, &c. Nomen etiamnum firmat atque obliquit vires imperii nostri Ducalis Meclenburgici. Hujus ergo in columitatem atque felicitatem, Optimis quibusvis Principibus dignam, seriis DEO I. O. M. commendabimus precibus, & pro Eiusdem Flore, Serenissimæque Principis Filix, salute omnimoda hamillimis intercedemus apud DEum suspiriis, precatur ut diu lati intersint suis populis, una cum Serenissima

Domo Meclenburgica omni.
TANTUM.



da:
per-
um:
cere
plo
na-
Ma-
trau
um
um
rus
ali
oya
tiz
D.
la.


na


o.
ff:
bit


m.
is
is

s
us
re

78







De Riddagshausano coenobio autem hæc traduntur. Dies
 Kloster hat einen Abbet gehabt und eine feine Schule, darinnen
 12 Knaben mit aller Nothdurft unterhalten, und in Logicis stu-
 diis durch einen Magistrum, welchen der Abt besoldet, institui-
 ret werden. Solcher Kloster-Schulen seyn 6. im Lande
 schweig, in unterschiedliche Classes abgetheilet, durch w
 Stipendiaten ordentl. geführet werden, bis man sie ent
 der Universitæt nach Helmstädt mit Nuß verschick
 Cum deinde turbulento *Brunsvicum*, mox vero Gv
 tum adiiisset, in secessu vicino *Zessen* ab Avia sua te
 receptus & per 9 dies retentus fuit. Amoenitates aut
 fementes, dictaque Monasteria latius enarrabant Auto
 Baringium reperiundi.

§. 7.

Hessemo die 4 Martii discedebatur, reliquaque
 stadio, Schanderslebiaque, *Halam*, intravit, ubi d.
 præter alia, salinas quoque vidit, de quibus ita: D. M
 Bericht nach, sollen die Salz-Roten jährlich 2 Tonnen
 tragen. Doch wird eine wieder auf die Unkosten g
 Von der andern muß man dem Hrn. Bischof ein gena
 richten, welcher das Feudum 123 Häusern verleihet.
 vero de his Salinis Scriptorum nubem collegit Clar.
 SIGIUS, plenior sine dubio dabunt notitiam in *Bt*
xon. Super. p. 941. In templo Cathedrali Halensi
 runt Epitaphium D. Mosmanni, ex unica sua uxore
 liberorum Parentis facti, cujus πολυγενίας alia plurac
 pediatabant exempla, *STISSERUS ad Sirac.* 16. p. 17
CARTUS Observat. Hist. Polit. Decad. II. p. 286 - 2
Jac. THOMASII, Oratt. p. 121. *LANSII Consult.* p. n
 omittam *STEPNERUM in Inscript. Lipsiensibus:* A

